



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrvm S. Theodori Tyronis dicti, ad differentiam Theodori Ducis. Ex  
actis à Simeone Metaphraste conscriptis. Passus est anno Christi 304.  
teste Baron. Tom. 2. Annal.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

& quotidiana ferè inuidorum conuicia, ver-  
sutaque machinationes, rursus, fugam ei sua-  
debant. Hærebat illius animo eremus Carthu-  
sæ, & suauissima sanctorum fratrum recorda-  
to lachrymas illi frequentes eliciebat: sed gre-  
gem sibi commissum quanquam rebellem &  
ingratum deserere nefas arbitrabatur. Crebro  
tamen Deum precabatur, ne ipsum in ea regio-  
ne vitæ terminum claudere pateretur. Itaque  
Rhemorum urbem (incertum qua de causa)  
petiturus, apud Sueffiones in Crispini & Cri-  
spiniâni monasterio febris correptus, paucis  
post diebus vir sanctitate venerandus & omni  
laude maior è vita excessit: eodem in loco se-  
pultus, quem in omni vita pro SS. Martyrum  
amore pio admodum affectu excoluerat. Eius  
verò monumentum, hoc insigni decorauit Epi-  
taphio, Goslenus Sueffionum Antistes; qui &  
multo post tempore sacras eius Reliquias,  
Sueffiones transtulit: & antè summam aram  
sub testudine honorificè recondidit,

*vehementer  
aspirat ad  
Caribussiam.*

*Feliciter  
decedit.*

*Epitaphiũ S.*

*Godefridi.*

*Appellatus  
est hic mar-  
tyr etiam*

*Amasenus,*

*ob locum,*

*vbi passus*

*est. Et Eu-*

*chaita à ci-*

*uitate in quã*

*eius corpus*

*translatum*

*est: quæ po-*

*ste à ab eodẽ*

*Gloria Pontificum, Cleri decus. ac Monachorum*

*Forma, gregis Dux, exemplar morum Godefridus:*

*Hic iacet: astra petens, octaua Luce Nouembris.*

**MARTYRIVM S. THEODORI DUCIS.**

*nis duci, ad differentiam Theodori Ducis. Ex*

*actis à Simeone Metaphraste conscriptis. Pas-*

*sus est anno Christi 304. teste Baron. Tom. 2.*

*Annal.*

**MAXIMIANVS & Maximinus Impe-**

**ratores cum per vniuersas prouincias**

**ditioni suæ subiectas cauissent, vt om-**

**nes Christianis sacris initiati mortis euaderet**

Gg 5

sup-

*nominata est  
Theodoro-  
polis Baron.  
in Notat.*

*9. Nouem.  
Præclara S.  
Theodori  
confessio.*

*Hortatur  
vinctos  
Christi ad  
constantiam.*

*Succendit  
fanum ma-  
tris deorum.*

*Ceditur  
in carc. rem  
mittitur.*

*A Christo  
Domino  
Angelis con-  
fortatur.*

supplicium, si vel immolatos tantum cibos gustare voluissent, Theodorus tyro, qui in Orientis regione militabat, diuino spiritu plenus, in media Marmaritarum legione, quæ in Ponti ciuitate Amasea nomine sub Brinca Preposito residebat, huiusmodi suæ fidei & amoris in Christum edidit confessionem. Ego Christianus, adulterinos omnes deos detestans, deinceps Christo Regi meo milito: & non alij. Eam confessionem haud mediocriter admirans Brincas, non quidem statim martyri iniecit vincula, sed liberum à se dimisit: sperans fore vt lenitate & blanditijs vinceret, quem certaminibus superandum desperabat. Interea impij idolorum cultores ira frementes alios quosdam ciues pietate & fide præstantes, vinctos in carcerem abripuerunt: quos Theodorus pijs monitis ad constantiam hortari non destitit.

Illis verò in vincula cõiectis, athleta Christi temporis opportunitatem nactus, noctu fanum matris deorum consecratum igne succendit: & idola in cineres redegit. Eam ob re comprehensus & Præsidis tribunali oblatu, primò acriter cæsus, deindè in carcerem abreptus fuit: vt illic fame siti que confectus interiret. Sed sequenti nocte fuit Christi ipsius præsentia & sanctorum angelorù mirificè confirmatus; tantoque repletus gaudio vt voces lætitiæ & exultationis plenas ederet: & carceris custodibus summam admirationem commoueret. Illi cum psalmodiæ suauitatem auribus perciperent, conciti Publico Præsidi id renunciarunt, æstimantes forsan Christianorum multitudine.

eundē in carcerem irrupisse, & vnā cū Theodoro epulis & genio indulgere. Accurrit ilicō Præses ratus se opimam nactus prædam. Vt verò carceri proprior factus est, viditque portam custodiæ clausam, & catenam, vna cum signaculis integram, miratur: animus tamen prædæ auidus aliundē per fenestras fortē irrupisse suspicabatur. Itaque ne quis fuga elaberetur, armato milite ergastulum circumdat; deindē ostio leniter reserato gradum pedetentim infert: sed iniqua spe miser delusus solum Theodorum Christi seruum in ligno constructum inuenit. Vndē tam ipse quam satellites ipsius, timore & tremore correpti, clausa rursus custodiæ porta recesserunt: & Christi martyri panis vnciam & aquæ poculum quotidie præbuerunt; quæ ille admittere noluit: afferēs se terrestri pane non indigere, qui à Christo Iesu cælesti alebatur.

*Recusat panem vel aquam impiorum.*

*Vide blanditias Satanae.*

Manē autem facto Præses productum ad tribunal miris est blanditijs aggressus; Si, inquit, morem mihi gerere volueris, ego te deorum pontificem constitui curabo; & summis auctū honoribus per omnes regni prouincias exaltabo. Ad ea Theodorus, oculis ardenti pietate ad cælum sublatis, quid tu mihi, inquit, caducos proponis honores? Ego quamdiu spiritum traho à Christi Saluatoris mei confessione nō recedo. Tum Tyrannus, inuito cū Præposito consilio, in ligno eū sustolli, & latera vngulis laniari iussit. Aduolant ilicō armati lictores; sæuiunt atrociter; sed martyr immobilis permanens Christum psalmis & hymnis celebrabat; stupente sanē ad tantam illius fortitudinem &

*Vnculis discipitur.*

con-

constantiam Tyranno: qui cum neque promissis, neque cruciatibus, quidquam se promovere cerneret, ignis supplicio furens frendensq; martyrem toto iam corpore laniatum condēnauit. Prolata sententia, confestim ex officinis & balneis ingens lignorum sarmentorumque fuit prolata congeries: in quam subditis ignibus coniectus martyr beatum Deo spiritū tradidit. Fertur frontem, oculos, pectus, totumque corpus Crucis signo admiranda quadam pietate munisse, & sic demum lætabundus è vita excessisse. Corpus fuit ab eximia pietate matrona Eusebia nomine sindone inuolutum, & preciosis delibutum vnguentis in ciuitate Euchaitarum honorificè conditum.

*In ignem missus reddidit Deo Spiritum.*

*Locus sepulture eius.*

ILLVSTRE MIRACVLVM IMAGINIS saluatoris, quæ à Iudæis in Vrbe Beryto crucifixa copioso manauit sanguine. Contigit (vt notat Baronius) temporibus Constantini luminorū & Irenes \* vxoris eius qui simul regnare ceperunt anno Domini 781. teste C. Baron. Tom. 9. Annalium. Tribuitur autem tractatus Athanasio Alexandrino Episcopo, sed Baronius censet potius esse Episcopi cuiusdam in Syria eodē nomine appellati.

*\* matris  
Vide C. Baronii Not.  
Martyr.  
Roman.*

9. Nouem.

**B**ERYTVS ciuitas est in finibus Tyri & Sidonis sita, Antiochiensibus vectigalis: in qua frequens erat Iudæorum natio. Contigit autem vt Christianorum quidam à Iudæo conductum propè Synagogam haberet domicilium; in quo ex aduerso lectuli venerandam imprimis Christi Iesu fixam habebat imagi-